

IX. Immoderata prurigo, novas vel circa doctrinam Theologicam, vel circa Scripturarum interpretationem, proponendi propugnandiq; sententias, tanquam scandali plenissima, à Theologo merito exulare debet. II. Tim. IV. 3. 4. I. Cor. II. 9. 13.

X. Analytica tractandi Theologiam methodus accuratissima est & juvandæ discentium memoriæ apprime accommoda. Königius.

XI. Studium Biblicum à Theologiæ studio præferri studiis reliquis omnibus, Philosophico, Philologico, curioso, antiquario, polemico, postillatorio, omninò debet. II. Tim. III. 15. 16. 17.

XII. Nunquam ad solidam rerum Theologicarum notitiam perveniet, qui studia hæcenus recensita cum Scripturario non intimè conjunxerit. Postillatorium tamen inter omnia minimum parit fructum. Königius.

Disp. II.

De

Theologiâ.

I.

Theologia est notitia veritatis, Divinitus revelatæ, cum promptitudine eandem defendendi, ad salutem æternam & studium veræ pietatis directæ. Tit. I. 1.

II. Hinc Academica & Scholastica Lutheranorum Theologia vera proprièq; dicta Theologia est, veræ autem Theologiæ nomen non meretur Theologia quorumlibet hæreticorum, quâ talis est.

III. Vera Theologia revelata nunquam sine lumine Divino, seu gratiâ hominem illuminante, consistit, quamquam homo ipse per eam non semper ad salutarem usque fidei & sanctitatis gradum illuminetur. Joh. I. 9.

IV. Theologia, quoad necessarios fidei articulos, cum in se, tum ratione testimoniorum Scripturæ, ex quibus illi educuntur, Divinam habet certitudinem, in cæteris certitudo illa absolutè necessaria non est. Luc. I. 4.

V. Sine